

BALDVINVS FERREVS COMES FLANDRENSIS.



Baldwinus ille ab ineunte etate militiam secutus, sua fortitudine & mirabili rerum successu apud omnes in maxima aestimatione fuit, ita ut etiam ferreus cognominaretur. Hic fortunę beneficio eō tandem deuenit, ut Iuditham filiam Caroli Calui Imperatoris, Regis Angliae derelictam uiduam, inscio patre, sibi matrimonio iungeret, atque secum abduceret. Itaque Cæsar ira commotus aliquandiu Balduinum persecutus est. Cum autem proceres quidam pro eo intercederent, atque uarias eius uirtutes Cæsari subinde inculcarent, Carolus eum in gratiam recepit. Postea uero genero suo Cæsar Flandriam dotis nomine tradidit, atq; ipsum Flandriæ comitem constituit, Anno Christi 878. Cum autem eo tempore Nordmanni Galliam & Flandriam suis incursionibus uastarent, Balduinus ille pontem circa Brugas fluvio imposuit, atq; hostes magno animo ex sua ditione eiecit. Ut etiam Comitatus suus diuturnior esset, eum Cæsari patrono subiecit. Tandem cum Balduinus multis ædificijs & præclaris legibus suam ditionem ornasset, eam posteritati suæ reliquit, ipse uero uiam universæ carnis ingressus est. Monst. lib. 2. Cosmog.